

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS Medicorum, Die Iouis XVI. Martij.

M. NICOLAO PIETRE, DOCTORE MEDICO, Decano, Moderatore.

An febre continuâ incipiente, vnà erumpentibus statâ periodo menstruis, Basilica potiùs quàm Saphena secanda?

I.

FEBRIS accensa primum in corde, mox sese in omnes corporis partes diffundit, si plures persistat dies, nec antè desinat, quàm fuerit omnino extincta, συνεχὴς dicitur: pabulum illi suppeditat putredinis vitio labefactatus sanguis, ille cùm simplex non sit, nec vniusmodi putredinis ratio, varias profert febris continuæ species, synochum putrem, καῦσον, τεταρτοφυῆ, his accensetur à plerisque semitertiana, intermittens

potiùs habenda. Putret ſanguis in maioribus venis, iis præcipuè, quæ cordi propinquæ ſunt, vt quæ minores, & à corde ſemotiores ſunt venæ, putà narium, ſedis, vteri, huius fomitis febrilis nihil aut minimùm contineant. Hinc fit vt hęmorrhagia critica, quauis ætate, febrem vix vnquam ſoluerit: plerumque nocuerit quouis febris tempore, etiam melancholicis, aperta hæmorrhois: mulieri iam primùm febricitanti nunquam profuerit menſtrua purgatio, vt ea, ſtatâ etiam periodo, ἀκαίρα, prodeat.

II.

FEBRIS cum primum inſilit, quandóque ſola eſt, quandóque illi aſſident plures affectus, graues, leues: veternus, vomitus, animi deliquium, ecthymata, capitis dolor, nec inde funeſta, ſalutariſve cenſenda: pleroſque rapuit vis effera febris, qui eâ ineunte ſe febricitare neſcirent; conualuere plurimi, quos ſui primordio febris penè oppreſſerat grauitate ſymptomatum: vt ex febris initio, quis illius ſit futurus exitus, ſecundus, aduerſus, non facilè ſit Medico proſpicere, in eo vix nonnunquam illa conſiſtit, modò nata, mox viget, ſæpiùs moratur, morandi cauſam innectit pepaſmus difficilis, vt quandiu febrilis humor immaturus extiterit, febris incipere dicatur.

III.

FEBRIS κατ' ἀρχὰς eſt ἀσθενέστερον, naturam tamen ſuperat, eamque priuat quidlibet audendi poteſtate, vt excretionem nullam valeat ſuſcipere, nequeat vllam actionem perficere: innatus calor naturæ vires, & magna potentia ſolus, igneus iam eſt & febrilis: tùm febris duntaxat impulſu ſplendida bilis vomitu ſeceſſúve effunditur: ſerum ſudore propellitur: ſanguis fugit venis, & erumpit ſtata etiam vice, & viis quas natura terit ſæpius, naribus, hæmorrhoidibus, vtero: inſiſtit ſcilicet morbus quandoque naturæ veſtigiis, illiuſque ſectatur τὰς ὁδοὺς atque hac recti ſpecie,

IV.

KATAMHNIA ſunt ſanguis, qui menſe quoque naturæ lege, non lunari ratione, per locos fertur, purus eſt & benignus; illius tamen κάθαρσις exoptanda mulieri cum vacuæ, tum grauidæ (quæ eo nomine ſana eſt:) in nutrice etiam non damnanda, profutura plurimum ſi certo procedat circuitu: at ipſo febris initio, ſi illa contigerit definitâ etiam die, nec ſolatio, nec remedio eſſe poteſt. Etenim qui profluit ſanguis nullâ febrili labe eſt aſperſus, etſi corruptus ille eſſet, non maturus excerni: nec eo leuior fit febris, ſæpius illa ingraueſcit, ſęuiuntque magis ſymptômata, vt menſtruam purgationem periodicam, quæ febri incipienti acceſſerit, nullâ arte promouere debeat Medicus prudens, & mulierum ſalutis conſultus.

V.

FEBRIS continuæ curatio phlebotomiâ perficitur, cædenda præcipuè Baſilica: expedita illius ſectio, ampla eſt, febrili vicina foco, nec procul remota à pręcipuis corporis partibus, vt ea ſecta citiſſimè refrigerij plurimum cordi, æſtu febrili accenſo, comparetur, febrilis humoris multum euacuetur, vnáque cerebro, thoraci, viſceribus nutritiis febre male affectis, ſuccurratur: inde quam-primum, nec ſemel, detrahendus ſanguis mulieri, profluentibus quoque tempeſtiuè menſibus, atque etiam puerperæ, quæ ritè purgatur, ſi fortè febris acceſſerit, nullo menſtruorum vel lochiorum ſuppreſſionis metu; quippe quæ non ex eo promanent fonte, ex quo deriuatur febrilis ſanguis, ſuperiorque ſit arte natura, quæ locis ſubeſt, & opituletur ei vis illa, quæ corpus vniuerſum regit, huius phlebotomiæ pręſidio munita, vtrum menſes, & lochia profluant copioſius. Non eadem commoda prębet ad malleolum inciſa Saphena, anguſtior eſt, longiori à corde diſſita interuallo, nec illâ adeò

104 commodè secatur, priuatas duntaxat exhaurit sedes, vt vniuerso corpori, febre continua laboranti, subuenire nequeat.

Ergo incipiente febre continua, vnà erumpentibus statâ periodo menstruis, Basilica potiùs quàm Saphena secanda?

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS BRAIER, Castrithierricus, Anno R. S. H. M. DC. XXVIII.

cette thèse est la 713e du tome IV in folio des thèses de la faculté. ———

